Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uenire filios israhel. non permittebat eos in itinere proficere
ut possint tertii diei mysteriis perfrui. Audi enim pro
phetam quid dicit. Resuscitabit nos deus post biduum et in
die tertia resurgemus et uiuemus in conspectu eius. Prima
dies nobis passio saluatoris est. et secunda qua
descendit in infernum. Tertia autem resurrectionis
est dies. Et ideo in die tertia deus antecedebat eos per diem
in columna nubis per noctem autem in columna ignis.
Quod si secundum haec quae superius diximus in his uerbis
recte nos apostolus docet et baptismi mysteria continere.
Necessarium est ut qui baptizantur in christo in morte ip
sius baptizentur et ipsi consepeliantur et cum ipso die ter
tia resurgant a mortuis. Quos et secundum hoc quod
dicit apostolus simul secum suscitauit simulque fecit sedere
in caelestibus. Cum ergo tibi tertii diei mysterium
fuerit susceptum. incipiet te deducere deus et ipse tibi
uiam salutis ostendere. Sed uideamus quid post
haec dicatur ad moysen quae uia praecipiatur eligenda.
De othon inquit conuersi iter faciant inter epauleum
et inter magdolum quod est contra beelsefon. haec autem
interpretantur. Epauleum quidem ascensio tortuosa.
Magdolum turris. beelsefon ascensio speculae uel
habens speculam. Tu ergo fortasse credebas quia
iter quod deus ostendit planum esset et molle et nihil